



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 101. Fœdus a Venetis Cæsarem totius Europæ potentissimum
pertimescentibus adversus eum sancitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

episcopatum, necnon ob Abbatias S. Benedicti ad Ligerim, & Aurelianensem S. Euortii contentione edixerat; percepta horum relatione Parliamentum datis literis Reginam rogabat, ut sua auctoritate magni Consilii acta interrumpi juberet, vicissim vero Parliamentum, se quoque hucusque gesta suspensurum pollicebatur, addens, nunquam sibi in mentem venisse, ut facultatem a Rege illius Filio, qui se absente illam Regni Administratricem constituisset, Reginæ concessam limitaret, præterea etiam assererebat, quod nunquam injuriam Cancellario inferre ullo pacto voluerit, sed eum ad Parliamentum vocando unice intenderit, ut cum eo quædam summi momenti negotia pacifice componeret. Hæc lis per aliquot menses suspensa permansit.

§. CI.

Fœdus a Venetis Cæsarem totius Europæ potentissimum pertimentibus adversus eum sancitum.

Interea Veneti Papiensis victoriæ terrore vehementer perculsi verebantur, ne Cæsar, cum potentissimus esset reditus, totam Italiam victricibus suis armis subjicere moliretur; quapropter summo Pontifici exponebant, se fœdus contra

tra

Sæcul. XVI
A. C. 1525

tra Cæsarem conflatu-
ros esse, huic quoque Angliæ Regem ac-
cessurum, cum id rerum suarum commo-
dum exigeret. Horum rationes Pontifi-
ci adeo graves videbantur, ut & ipse
huic fœderi nomen daret. Verum ad-
huc concipiendis illius articulis incum-
bebant, cum Papa cursoriis equis Hiero-
nymum Ginuccium Cameræ Apostolicæ
Clericum in Angliam ablegaret, ut Re-
gem quoque ad eandem armorum societ-
tatem induceret; interea vero Capua-
nus Episcopus præcipuus Papæ Mini-
ster Placentia Papiam contendit, ut par-
tam de Gallis victoriam Lanoyo gratu-
laretur. Hunc Præsul ad ineunda con-
cordiæ pacta adeo propensum experie-
batur, ut rupta omni mora Romam re-
verteretur, ac Papam a suscepto fœde-
ris consilio dimoveret, quapropter Cle-
mens nimia inconstantia, cujus tamen
pœnas paulopost dedit, abreptus Alba-
niæ Ducem compulit, ut cum suo exer-
citu e portu Civitatis veteris solveret,
ac in Gallias rediret: insuper Ginuccium
Caletò, ubi jamjam advenerat, reverti
jussit; igitur privata commoda publicis
præferens, fœdus cum Neapolis Prore-
ge, qui Cæsaris nomine agebat, con-
cludere festinabat, cujus præcipuos jam
articulos exhibeamus; sancitum itaque
L. Cæsar Francisco Sfortiæ inauguratio-
nis

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

nis diploma pro Mediolanensi Ducatu concedat, eique hujus ditionis possessionem reddat. II. Florentini, seu eorum nomine Pontifex, Cæsareo exercitui centum aureorum millia solvat; eo quod ita promissum esset in quodam articulo foederis cum defuncto Papa initi, vi cuius integro anno post obitum alicujus, qui foederi accesserat, Cæsari subsidia solvi jubebantur, ea tamen lege, ut hæc centum aureorum millia restituerentur, si Cæsar intra quadrimestre foederi nomen dare renueret. Præterea tres articuli, qui speciatim Papam respiciebant, privatim scribebantur. I. Mediolanenses non alio, quam sale Romandiola advecto utantur, qui tamen eis juxta pretium a Leone X. præstitutum vendatur. II. Cæsar Ferrariæ Ducem adstringat, ut Reggium, & Ruberiam urbes, quas defuncto Papa Ecclesiæ eripuerat, restitueret. III. Summus Pontifex in Neapolis Regno beneficia libere conferat, Cæsar vero juri cedat, quod ex Constitutione Urbani II. Papæ in Sicilia Clerum habere contendit. Denique alio articulo Papa spondit, se Cæsari centum aureorum millia daturum, Ducemque Ferrariensem in gratiam recepturum, dummodo is partem Pontifici summam persolveret.

§. CII.